

I. N. J.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
BINAS PROPONENS

QVÆSTIONES
PNEUMATICAS,

Quas

Mandato & Applausu Ampl. FAC. PHIL.
In inchyta ad Auram Regia Academia,

PRÆSIDE

UIRO CLARISSIMO,

DN. M. CHRISTI ERNO
A L A N D R O,

Eloqv. Prof. Ordin. Celeberrimo.

PRO GRADU MAGISTERII,

*Publica honorum ventilationi modeste
subjicit*

ANDREAS E. PEURONIUS,
TAWAST.

Ad diem 22 Nov. A. 1694.

Impr. apud Jo. WALLIUM.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

OVER THE HILLS

BY
JAMES EARL RAY

CHICAGO
THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

AND
LONDON
THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

1962



Dulchre satis differit Sperlingius in Proœm: Inst: Pbyſ: quaſt. 4. de metabasi eius à mè yèù @, quomodo ſcil: ea fiat cum reprehensionis notà digna eſt cenſenda: quò igitur hac in parte, benignum ablegamus Lectorem. Hoc tantum hic dixiſſe ſufficiat, quod non quocunqve tranſitu ex una diſciplina in aliam, falx, ut ajunt, in alienam mittatur meſſem: Nam & objecta Diſciplinarum, quoad materiale (ut plurimum) conveniunt, & fines quoque dantur communes. Relinquitur ergo à xp̄iſtòs loquendo, ſaltum ejusmodi tum modo committi, cum ea in peregrinis tractamus, quæ aliis diſciplinis diſtinctis & diverſis ſunt propria & homogœna: ſeu, cum formale unius, facimus formale alterius, quod legibus benè Philoſophantium jam dudum eſt cautum. Hinc diſpaleſcit Philoſophiam nov

eo à recto deflectere, quod agat de DEO, de At-
 tributis divinis, de Angelis & quæ plura e-
 tiam Theologica solent esse considerationis: sed
 sub formali diverso. Nam ut Theologia
 agit de hisce, prout lumine patent reve-
 lato; ita Philosophia extractat, in quantum
 lumine naturæ sunt cognoscibilia. Et sic diver-
 sus considerandi modus omnē tollit controversiam.
 Quo accedit, quod non opponendæ sunt
 hæc disciplina, sed hæc illi est subordinanda.
 Nam quid quæso est lumen naturæ, quod
 Philosophiæ principium facimus, nisi parti-
 cula quædam post lapsum residua divine I-
 maginis, quæ maximè in integritate mentis &
 voluntatis consistebat. Huic igitur cum addit
 revelatio, ex iis quæ quondam adfuere, re-
 stituit. Hinc apparet insimul, non errare
 Philosophum, cum in testimonium suæ con-
 clusionis allegat scripturam sacram, quæ so-
 la de iis, quæ omnes quondam amisimus,
 infallibilis est testis. adeoque licebit Philoso-
 pho inde testimonium petere: Theologus
 vero unice; non modo testimonium, sed &
 principium ex ea postulare tenetur. Bene

ergò Sperling. loco supra citato, scriptura sa-
 cra est liber communis cunctis: & proprius
 cuius, ex quo hauriunt sua Theologi, sua Phi-
 losophi, sua Juris consulti: consule Pneumat.
 Mejeri Proem: Lect: 2. Axiom: 2. Hac
 prenotare placuit, cum quæstio infra appo-
 sita id videatur prærequirere.

Sed imprimis quæritur:

An è lumine naturæ cognosci possit,
 dari præscientiam rerum divinam?

Non est hic sermo, de cognitione
 præscientiæ DEI quidditativa seu
 comprehensiva, eam enim assequi
 non potest finitus intellectus: sed de
 apprehensiva & quidditatis. Non de ple-
 na & perfecta; sed de confusa & imper-
 fecta. Et ita quæsitum affirmamus, ibi-
 musque hoc ipsum probatum via tri-
 plici: & quidem via negationis: cum ita
 sæpe adducamur in rei notitiam:
 Arg. Quicquid aliquam dicit imperfectio-
 nem, id de DEO, tanquam ente perfectissi-
 mo erit removenandum: at ignorantia futurorum
 dicit aliquam imperfectionem &

4
Major luce sua radiat: cum dicitur naturæ lumen, esse aliquod Numen summum illudque perfectissimum.

Minor probat: nam futura, ut suo modorationem habent entiatu, ita & scibilitatis, imperfectionem ergo ponit, qui dicit scibile non cognosci. Et hinc, remota ignorantia ponitur scientia.

2. Viâ eminentiæ: quicquid perfectionis est in creatura. Id etiam in DEO est modo longè eminentissimo: at in creaturis datur scientia & vel ita: quantumcunque addi possit scientiæ finite, tanto jam præstabit infinita: at scientia futurorum posset addi scientiæ finite &.

3. Via causalitatis.

Nam: nihil est in effectu, quod non prius fuerit in causa: At in effectu, creatura scilicet datur, non modo cognitio presentium, sed & aliquando futurorum &.

Major probatur: quia causa alii dare non potest quod non habet ipsa.

Minoris membrum post: constat experientiâ, & teste historia tum sacrâ tum

tum profanâ; ubi sæpius occurrit ates
recte prædixisse futura etiam contin-
gentia.

QVÆST. II.

*Cum DEUS præcognoscat futura eti-
am contingentia: Num eo tollatur
humani arbitrii libertas?*

Quod DEUS omniscius præsciat
non modo absolute, sed & hypo-
theticè futura, id probare non est no-
stri instituti, cum certò certius constet
ex sacris pandectis: leg: Psalm: 139. v. l. 2.
seq: confer: I. Reg: 23. 12. Math: 26: 53. & c: II: 21.
seq: sed id tantum quæritur: *num ita
salva & intacta maneat libertas humani
arbitrii?*

Sed quo versemur felicius circa enoda-
tionem hujusquæstionis: removendæ sunt
plures vocum acceptiones, ut de distinctis
distinctè possit agi, cum errorum genitrix
sit æquivocatio semper: & quidem I. oc-
currit nobis, quod erit notandum: *sci-
entiam DEI aliam esse (a) simpliciis*

6
*Intelligentiæ, quâ DEUS respicit omnia
possibilia, quæ & qualiacunqve sint an-
te omne ejus decretum de iis sive pro-
ducendis, sive non producendis: & hæc
præscindit ab omni decreto & concursu,
sive ipsius DEI, sive Entis creati: seu,
ut clarius: quâ Numen illud summum
videt & cognoscit indifferenter omnia,
prout hoc vel illo modo se habere pos-
sint: sive actu ita futura sint, sive non.
Et aliam (β) *visionis: quæ respectum
dicit ad futura, quæ DEUS, vel ipse
decrevit facere: & hæc decretum præ-
supponit de futurorum productione à
DEO ipso obeundâ, vel prævidet eventura
esse per creaturam liberam & rationa-
lem, quæ scientia etiam intuitiva dici-
tur: confer. Scheibl: Met: lib: 2. art: 4.
p: 1. 2. Et hæc postrema acceptio est
illa, de qua in præsentiarum disquiritur.
Sed & hoc notamus II. quod præco-
gnitio hic dicitur, non ac si in DEUM
cadant temporis differentia, præteri-
tum & futurum: cum constet ex S.S.
DEUM omnia intueri & præterita &
fu-**

futura, in perpetuo *vōv* simplicissime
 & tanquam præsentia, præscire itaque
 dicitur DEUS *ἀνθηρωπικαθαίς* & respec-
 tive ad ordinem temporis; seu prout
 cognoscit DEUS res quæ in mundo
 sunt futuræ. 3. Contingentia dicuntur
 hæc futura: non quod conditionaliter
 futura sint ratione divinæ comprehen-
 sionis: cum infallibilis sit DEI scientia:
 sed ratione objecti & sub certa hypo-
 thesi, prout eo modo, ac futura sunt,
 fieri, aut non fieri possunt. neque 4.
 In quæstione tam est, num tollatur li-
 bertas contradictionis, quæ alias exer-
 citii dicitur, quâ homo potest agere
 vel non agere: Sed quæritur maximè,
 de libertate contrarietatis seu specifica-
 tionis, quâ liberè hoc vel illud agere
 possumus. Est itaque sensus quæstio-
 nis: si DEUS infallibiliter præcognoscit
 futura etiam contingentia, eodem modo
 quo & sunt, futura esse: num homo ita sit
 sibi relictus quo ad actus voluntatis, ut li-
 bera sit ipsi potestas agendi hoc vel il-
 lud bonum vel malum, vel contra,

Hoc modo formato statu quæstionis, respondemus: à præscientiæ divinæ certitudine ad negandam humani arbitrii libertatem, nullam esse consequentiam: ratio est, quia præcognitio, non est causa influens in esse rei præcognitæ: sed ejus contemplatio: quâ DEUS simplici cognitionis actu videt res ita esse futuras, ut à libera causarum determinatione futuræ sunt, si vel nullus eventum talem præcognosceret. Nam præscientiæ divinæ effectus est, non ut res ita fiant, sed scire quod ita sint futuræ: seu, res non ideò fiunt, quia DEUS præscit; sed DEUS præscit, quia ita sunt futuræ, ut Calovius Met. Div. pag. 411. Unde luce clarius est, præcognitionem non tollere rerum contingentiam, adeo nec libertatem voluntatis humanæ. Nam ut ille qui præsentia intuetur, eo ipso non infert necessitatem rei: ita nec ille qui prævidet futura. Et si contrarium procederet, sequeretur DEUM omnia absolute agere decreto, adeo ut & causa
me-

mereretur dici mali, non modo tristis, & pœnæ, sed & turpis & culpæ: quod non minus ἀφιλόσοφος est quam ἀθεολόγος & Script: S: dictamini aduersum.

Sed oggerunt Sectæ Heterodoxa, his vel similibus argumentationum machinis.

Si omnia necessario ita sunt futura, ac præcognoscit DEUS futura esse: sequitur humanum arbitrium non aliud eligere posse, quam id quod DEUS acturum præscivit. Et per consequens, talis voluntas non est libera planè & sibi relicta. At verum prius ergo & post. Resp: Ad maiorem: distinguendo præprimis τὸ necessario, quod 2: accipitur. Vel (α) prout necessitatem infert consequentis, seu Physicam & absolutam, quâ res ex causa antecedente & necessaria, necessario sequitur, adeo ut contrarium sit impossibile. Vel (β) quatenus necessitatem dicit consequentiæ, quæ alias dicitur hypothetica: & est, cum antecedente velut causâ vel conditione positâ, non potest non sequi consequens, quippe quod conditioni est

inclusum. In posteriori hoc, & non priori sensu admittimus tò necessario in allato syllogismo: & sub hac limitatione etiam tò *posse* erit intelligendum. Sed ita non procedit minor, ut vera sit illatio: inde enim non sequitur voluntatem non esse liberam ad eligendos sibi actus; cum talis prævisio non sit causa ipsius eventus. Sed in signo rationis divinæ semper se habeat consequenter in respectu ad res præscitas, ut & ad ea quæ effectum causantur. cum itaque res à causis suis certo ita futuræ sint, ab omniscio, non possunt non cognosci. Præterquam, quod efficiens est causa externa, quæ ad constitutionem effecti externi, foris se exerere tenetur: præscientia vero agit in se & non in alio; neque rem ullam extra semet perficit: confer: quæ dicta sunt supra, & res (ut speramus) erit in vado.

SOLI DEO GLORIA.